

MEMBRUM I.

De Momento.

Momentum hoc casu nobis idem est, quam illud, quod fit in continenti; stricte tamen hoc vocabulo accepto, ut hinc omnia negotia huc pertineant, quæ non admittunt intervallum, seu ubi intervallo aliquo accedente, jus alicujus mox perimitur, vel etiam in momento jus in re aliena quæritur. Alias enim latior significatio non ignota est, quando & id, quod intra triduum fit, in continenti fieri dicitur. *L. ult. C. de Error. Advoc.*

Momento ergo præscribitur

1. Juri occidendi invasorem; nam si intervallum intercedat, vel invasor offendere desinat, mox poenam incurrit defensor *Carpz. Prax. Crim. quest. 31. n. 17. seqq.*

2. Juri recuperandi propria autoritate, seu per vim, possessionem, a qua quis violenter dejectus, hoc enim, si non illico fecerit, illicitum est. *L. qui possessionem. 17. ff. de vi & vi arm.*

3. Juri negotium pupillare auctoritate tutoria confirmandi, hoc enim si non statim in ipso negotio fiat, sed post tempus, vel intervallum, nihil agitur. *§. 2. Inst. de Auc. Tut.*

4. Qui momento tantum possedit rem, quam b. f. a non domino emit, mox quæsit sibi jus agendi Publiciana actione, *L. 12. §. fin. ff. de Publ. act.*

5. Quando filius in patris potestate constitutus quid acquirit, ejus rei dominium in momento transit ad patrem, per *L. placet 79. ff. de acquir. hered.*

6. In prioritate creditorum, jus ex momento quæritur: Regula enim illa, *qui prior tempore, potior jure*, etiam in prioritate per horam vel momentum procedit. *Berlich. P. 1. Concl. 69. n. 5. seqq. Gail. l. 2. obs. 25.*

7. In apprehendenda possessione pariter momenti ratio habetur, ut qui per momentum possedit, manutenendus sit contra

tra illum, qui postea apprehendit possessionem; *arg. tit. C. si de momentan. poss.*

8. Momentum attenditur in acquirenda & deferenda successione. Posthumus enim si per momentum tantum vixerit, & spiritum modo ediderit, etiamsi mox in manibus obstetricum decesserit, acquisivit hereditatem paternam, eamque iterum ad matrem, aliosve heredes suos legitimos transmisit *L. 3. C. de Lib. & posth. Carpz. P. 3. C. 17. def. 19. n. 6.*

9. Si filius quasi ex mandato patris mutuam acceperit pecuniam, ad patrem scripserit, ut solvat, pater si non continuo, seu continenti contradixit, obligatur *L. 16. ff. ad SCt. Maced.* Quod tamen Gothofredus *ad d. L.* temperat, ne adimatur patri literas legendi, cogitandi, & consulendi tempus.

10. Momentum attenditur in rescriptis gratiæ, ibi enim illud, quod per momentum saltem prius est, præfertur. *c. si duobus: de Rescript. in 6to & ibi Glossa. Peregrin. de Jur. Fisci l. 6. Tit. 6. num. 35.* Ergo cui prius præbenda vel beneficium collatum, præfertur illi, qui momento post beneficium impetravit. Menoch. *remed. 4. adipisc. possess. n. 797.*

11. Matrimonium si per momentum tantum substiterit, maritus ex statuto dotem lucratur, vel uxor jure prælationis, & aliis uxorum privilegiis, Tiraquell. *ad L. si unquam 8. verb. donatione largitus n. 221. C. de revocand. donat.* Et licet hodie plerumque statuta consensionem thalami requirant, sufficeret tamen, si mox post consensum thalamum moriatur (nam per consensionem thalami non intelligitur copula carnalis.)

12. Præventio jurisdictionis quæritur in momento, si enim Judex suam citationem per momentum prius insinuaverit, hujus fundata est jurisdictio. *Carpz. lib. 2. Resp. 46. n. 12. & in Proc. Tit. 9. Art. 3. n. 18. seqq.*

MEMBRUM II.

De Horis.